THESES PHILOSOPHICAE,

Quas, Deo auſpice & propitio,

Pro virili propugnabunt Adoloſcentes
Magiſterii candidati, 36. ex *Academia*
Iacobi Regis

Hâc vice cum laureâ emittendi, ad diem 6. Cal.
Auguſti, *Edinburgi*, *In Æde Sacra Auſtrali*.

Præſide *Andrea Stephanide*.

Μωμεῖσθαι χᾶον ἢ μιμεῖσθαι.

EDINBVRGI,
Excudebant Hæredes *Andrea Hart*. 1629.

MAGNIFICIS, AC ORNATISSIMIS DOMINIS,

D. DAVIDI AIKINHEAD,
Vrbis EDINBVRGI Præfecto Clariſsimo.

D.D. *Ioanni Sinclar, Archibaldo Tod, Edwardo Ferquard, & Alexandro Heriot,*
Prætoribus æquiſſimis, IOANNI MACKNACHT, ædili *Vigilantiſsimo, &* DAVIDI MACKALL, Quæſtori fideliſſimo,

Cæteriſque Vibis EDINBVRGENÆ Senatoribus *prudentiſsimis, Academiæ IACOBI REGIS* Patronis benigniſsimis,

Adoleſcentes Magiſterii candidati S,

DVM tenellum hunc ingenioli noſtri fœtum eniteremur, (D. *Præfecte Clariſsime, Prætores æquiſſimi, Senatores Prudentiſsimi*) & de nutritio ſinu, qui illum tolleret parvulum, meditaremur, non exercuit nos Pyrrhonia hæſitatio, diù multùmque delibe-

rantes, cui potissimùm committeremus alendum. Hoc enim, quicquid est, sive onus, sive honos, vestræ certè Amplitudinis est totum. Nam qui onus ferat, nemo magis idoneus; cui honos deferatur, nemo magis dignus: illud perferre, nemo magis tenetur; hunc deferre, nemini magis tenemur. Cum enim parentes educationis vel oneri, vel honori non sufficiunt; quibus jure incumbit nutricationis onus, nisi parentum parentibus? Quibus meritò decernitur nutricationis honos, nisi parentum Patronis? Vt autem taceamus præclara vestra in Ecclesiam, & Remp. merita, & quæ nostri sunt fori duntaxat memoremus; Paterni *amplitudinis vestræ* affectus, & Patrocinii in literas & literatos plurima extant τεκμηρια. Nam almam Matrem Academiam (quæ nos partus hujus Parentes peperit, & blando sinu fovit) spatiosis, & speciosis ædibus non ita pridèm amplificastis; & publicis quarundam liberalium artium professionibus exornastis; ac novis subindè beneficiis mactare, summâque fide, ac diligentiâ eandem ritè administrandam curare nunquam desinitis: adeo ut eam in manibus & animis gestare videamini: Tu verò imprimis (*Amplissime D. Præfecte*) quod, ut animi in Musas & Musarum alumnos propensissimi, ita summæ vigilantiæ, & singularis prudentiæ in honorabili tuo munere fungendo certissimũ est inter alia multa indicium. Quid? quod nostrum Præceptorem (imò Patrem, qui nos virtuti genuit & eruditioni) in cathedram Philosophicam semel atque iterùm vestris auspiciis suffectum, novo indies beneficiorum cumulo onerare gestit vobis animus. Huc accedit pia vestra in promovendis literis sollicitudo, in reformandâ pristinâ illâ & spinosâ, inveteratâ potius, quàm verâ, & futili, quàm utili puerorum in Grammaticæ elementis institutione: quam nuper decretam

cretam jam molimini, magno olìm (ni frustrà augurium) tum *V. A.* ornamento, tum Ecclesiæ & Reip. literariæ emolumento. Per hanc vestram Patris, & Patroni στοργην (D.D. *Amplissimi*) obnixè, & suppliciter *A.V.* rogamus, ut hunc nostrum informem fœtum, quem ursino more lambere non licuit, sereno, ut soletis vultu, tollere, vestroque gremio fotum à viperino Momorum & Zoilorum morsu tegere, & tueri dignemini. Pergite, *Mecænates optimi*, quo cœpistis pede, rem literariam, imprimìs verò hanc vestram Academiam propugnando propagare, & favendo fovere, ad divini nominis gloriam promovendam, & vestrã ipsorum famam in omnem posteritatem propagandam. Bene, & fæliciter valeat *Amplitudo vestra.*

Adolescentes Magisterii Candidati.

Adamus Brunus.
Alexander Hẽrysonus.
Alexander Nicolsonus.
David Bellendinus.
David Henrysonus.
Georgius Christisonus.
Georgius Dovæus.
Gulielmus Harlaus.
Gulielmus Muschetus.
Henricus Nisbetus.
Iacobus Fisherus.
Iacobus Inglisius.
Iacobus Kirkeus.
Iacobus Millerus.
Iacobus Wysmanus.
Iohannes Bellendinus.
Iohannes Bovæus.
Iohannes Currius
Iohannes Forresterus
Iohannes Nisbetus.
Iohannes Sinclarus.
Kennethus Logius.
Laurentius Mercerus.
Nicolaus Vdwardus.
Patricius Brunus.
Patricius Colvillus.
Patricius Hamiltonius.
Robertus Carus.
Robertus Chisholmus.
Robertus Kethus.
Robertus Nicolsonus.
Robertus Ramisæus.
Samuel Rovæus.
Thomas Gilbertus.
Thomas Henrysonus.
Thomas Makgillus.

THESES LOGICÆ.

I.

ΑΡΧΗ, ἐαν μεν περι γενεσιν, τεχνης: ἐαν δε περι το ὀν, ἐπιστημης 2. Post. ult.

App. 1. *Quod sub scientiam cadit, non est à nobis producibile.*

2. *Ad subjectum scientiæ ex* Arist. *requiritur, ut sit ens necessarium: nec gratìs hoc asseritur.*

3. *Logica, ut defectu veræ entitatis in secundis rerum notionibus, nomen artis propriè non meretur, ita nec scientiæ, defectu necessitatis in ijsdem: licet in eâ sint simulacra quadam demonstrationum.*

II. Διο δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἑκαστα ἀποδεικτέον, ὡς ἀτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστημήν, καὶ τροπον ἐπιστήμης: ἐπει οὐδὲ τερον ῥᾴδιον λαβεῖν. 2. Metaph. c. 3. Problema autem Logicum, id est, in terminis Logicis, nec scientiale, nec morale est, sed instrumentum utrique inserviens. Top. 11. & 14.

1. *Logica nec scientia est speculativa, nec practica, sed habitus instrumentarius, nec Philosophiæ pars, sed organum.*

2. *Qui anxiè disquirunt nùm Logica sit scientia speculativa, an practica, vel operam ludunt, vel scientiæ nomen latiùs sumunt pro disciplinâ.*

3. *Ante omnes scientias exactè acquirendas addiscenda est Logica.*

4. *Qui posthabito Logicæ habitu directivo, eiusq; regulis, & organis, ullam disciplinam liberalem exquisitè discere, vel exercere, nedum tradere & docere, conantur, perindè faciunt, ac qui navem sine armis, & armamentis vel erigere, vel regere moliuntur.*

5. *Et qui Logicam ut inutilem aversantur, ingenuis artibus hostilitèr adversantur.*

6. *Nec mirum, quod aut à recto tramite ad scientias vel acquirendas, vel exercendas longè aberrent, aut in eo hærentes sæpe cæspitent, & multùm, sed frustra fatigati miserè se crucient.*

III. De ratiône instrumenti duo sunt, tum ut subordinetur causæ principali, & ab eâ moveatur, vel applicetur ad operandum; tum ut applicetur ad operationem principalis agentis, non suam propriam.

1. *Ergo Logica & adhibetur ad efficiendam scientiam actualem, & illa virtus Logicæ directiva per se subordinatur habitui scientiæ, in cuius actum prodire non potest per se, nisi scientiæ habitui applicetur.*

2. *Habitus Logicæ instrumentaliter concurrit ad actum scientiæ, non immediatè per ipsum habitum, disponendo & determinando habitualiter scientiam ad rectum scientiæ actum, sed mediante suo actu, id est, actuali cognitione præceptorum Logicæ, & modorum sciendi.*

3. *Quare Logica est instrumentaria, non solum quia conficit instrumenta sciendi (ut plærique sentiunt) sed præcipuè quia ipsa seipsâ, seu suis regulis & præceptis instrumentaliter producit scientiarum actus.*

4. *Unde apparet discrimen inter Logicam & aliàs artes quoàd rationem instrumentariam, quod hæ principaliter efficiunt quædam opera, quæ postea sumuntur ut instrumenta ab aliis artibus, at illa pro fine principali habet, organicè efficere actum scientiæ.*

IIII. Logica docens tradit præcepta fabricandi syllogismos, utens verò struit singulares syllogismos, applicando præcepta ad certam materiam, ob certum finem.

1. *Actus proprius Logicæ docentis est ipsa doctrina, utentis verò usus doctrinæ seu opus doctrinæ conforme, v. g. cum syllogismus physicus fit secundum regulam & legem logicam.*

2. *Logica à perito artifice bene tradita, sive voce, sive scripto, simul est & docens, & utens, quatenus præcepta Logica tradit, & ijsdem est conformis.*

2. *Ad actum Logicæ utentis in scientiis non sufficit habitus Logicæ, sed requiritur alius habitus, a quo opus effectum proveniat principaliter, seu quoad*

3. *Duplex est habitus Logicæ utentis, unus, qui idem est cum logicâ docente (quatenus aliqualis usus logicæ potest provenire ex merâ doctrinâ logicâ) alter, qui distinguitur realiter à logicâ docente, idemque est cum habitu scientiæ materialiter ex usu Logicæ contracto.*

4. *Usus Logicæ naturalis docentem peperit, utens verò artificialis, naturæ ordine hanc sequitur.*

5. *Logica nec docens, nec utens est scientia formaliter. sed utens duntaxat materialiter. tis, ita & habitus ex eo genitus, simpliciter & quoad substantiam est scientificus, secundum quid logicus.*

substantiam & entitatem: a logica verò instrumentaliter seu quoad directionem & modum, vel conformationem cum Logicæ præceptis.

3. *Syllogismus physicus, quâ physicus est, specie differt ab actu Logicæ docentis: at, ut continet in se artificium logicum, minimè.*

4. *Actus Logicæ utentis materialiter, & ob identitatem cum actu scientiæ, est specie distinctus ab actu Logicæ docentis: at formaliter & per se est eiusdem speciei.*

5. *Sicut actus Logicæ utentis*

6. *Etsi logica utens sumpta pro instrumentis confectis realiter differat à docente, ut ars & artefactum, tamen logica docens & utens pro habitu, sunt idem reipsâ habitus, & differunt tantùm secundum esse perfectum & imperfectum.*

V. Abstractio est separatio unius ab altero, quod antea fuit illi conjunctum.

1. *Quum consideratur & cognoscitur unum non considerato & cognito alio, cum quo jungitur a parte rei, dicitur vnente ab eo abstrahi.*

2. *Ideoque abstractio mentalis est actus primæ operationis intellectus per simplicem apprehensionem, sine ulla affirmatione aut negatione, imò & comparatione.*

3. *Vnde abstrahendo solum non includimus quod negando excludimus positivè, juxta illud,* abstrahentium nõ est mendacium.

4. *Ergo abstractio propria generis est consideratio naturæ genericæ non consideratis singularibus specie differentibus, in quibus existit, & à quibus abstrahi potest: speciei vero, est consideratio*

naturæ ſpecificæ, non conſideratis ſingularibus, in quibus exiſtit, & à quibus abſtrahi poteſt.

5. *Illa eſt à ſingularibus differentibus ſpecie, ſed non quâ ſpecie differunt: hæc, à differentibus numero, ſed non quâ numero differunt.*

6. *Neutra igitur includit reſpectum ad ſingularia formaliter, ſed materialiter duntaxat.*

7. *Abſtractio propria generis, vel ſpeciei, non eſt a ſingularibus ſpecie, vel numero differentibus, quâ reſpectu ſingularium à quibus abſtrahuntur modum totius, vel partis materialis habent, niſi confundatur abſtractio cum comparatione (quæ utraque quidem requiritur ad fabricam univerſalis actu) & natura abſtracta ſit actu univerſale in prædicando.*

VI. Vniverſale in eſſendo fit per ſolam mentis abſtractionem à ſingularibus: in prædicando verò, per modum prædicandi univerſalem, ſeu comparationem naturæ abſtractæ cum iis.

1. *Illud eſt quid abſolutum, & quaſi medium inter ſingulare & univerſale actu: hoc, quid reſpectivum eſt.*

2 *Licet omne univerſale in eſſendo, ſit etiam univerſale in prædicando, & contrà, formales tamen rationes habent diverſas, nec quâ eſt in eſſendo, eſt in prædicando, nec contrà.*

3. *Licet differentiæ, proprio, & accidenti præter univerſalitatem in eſſendo conveniat univerſalitas quædam in inexiſtendo, hæc tamen non facit illa univerſalia in eſſendo, ſed ſupponit jam eſſe facta per abſtractionem á ſingularibus, & ſolum facit illa eſſe univerſalia in inexiſtendo & prædicando.*

4. *Hinc non ſunt tot ſpecies univerſalis in eſſendo, quot in prædicando: illæ duæ,* genus & ſpecies, *hæ, quinq;* nempe *tria reliqua prædicabilia cum his.*

5. *Ex quinario univerſalium in prædicando, univerſalium in eſſendo nec quinarium aſtruere, nec binarium deſtruere licet.*

VII. Non poteſt verè quid affirmari de aliquo, niſi ſit cum eo aliquo modo idem, vel formaliter, ut *definitio & definitum*, vel materialiter, idque, vel actu confuſo, ut *ſubiectum & accidens in concreto*, vel potentiâ tantum, ut *genus & ſpecies.*

1. *Ad veram prædicationem non ſufficit, ut attributum includatur in ſubiecto, ſed requiritur, ut contineat quicquid continet ſubiectum.*

2. *Hinc ex* Ariſt. 4. Topi. 5. *Pars non prædicatur de toto.*

3. *Si* animal *non eſſet totũ quod* homo, *non prædicaretur de eo.*

4. *Genus prædicatur de ſpecie in concreto, non per modum partis eſſentialis, nec per modum totius per ſe ſubſiſtentis, ſed per modum totius potentialis, non quidem de parte, ſed de toto actuali, & ut totum univerſale de toto particulari.*

5. *Etſi ex parte rei prædicatæ genus de ſpecie incompletè prædicetur, ex parte tamen modi potius completè.*

6. *Tam genus, quam differentia, ſignificat totam naturam ſpeciei: illud ſub ratione contrahibilis, perfectibilis, & determinabilis: hæc, contrahentis, perficientis, & determinantis.*

7. *Ergo* genus *ſumptum, ut totum potentiale abſtrahitur à ſpeciebus abſtractione univerſali, quâ commune abſtrahitur à particularibus: at, ut pars, abſtrahitur potius abſtractione præciſivâ, quâ pars à toto.*

8. *Cum omne univerſale prædicetur ad modum totius, diſplicet vulgaris modus confirmandi quinarium numerum prædicabilium, quod prædicabile vel habet modum totius, vel partis; & partis vel materialis, vel formalis; vel modum accidentis, ejuſq; vel neceſſarij, vel contingentis.*

VIII. Vniverſale eſt, quod per naturam aptum eſt ineſſe pluribus.

1. *Forma univerſalis in unitate, & communicabilitate conſiſtit.*

2. *Quædam potentia actuat, & determinat, & non ſolùm determinatur.*

3. *Quædam potentia eſt actus, & quidam actus eſt potentia.*

IX. Homo non eſt brutum in potentiâ.

1. *Cum prædicatur animal de homine, non prædicantur omnes ſpecies in potentiâ.*

2. *Prædicatur igitur* animal *de homine; ut eſt potentiâ homo: de bruto, ut eſt potentiâ brutum.*

3. *Sed quia* animal *non formaliter, & expreſſe, ſeu quaſi in*

actu signato significat hominem in potentia, sed tantùm quasi in actu exercito, ideo de homine hic prædicatur homo in potentia *tantùm materialiter.*

X. Sicut hoc & illud album, sic hoc & illud accidens v. g. *album & ambulans*, sub conceptibus huius & illius accidentis solo numero differunt.

1. *Ergo hæc vera est*, accidens est species.

2. *Ideoque quædam species* ἀντιδιηρημένας *de se invicem possunt verè affirmari.*

3. *Quæ in* esse *reali differunt toto genere, in* esse *rationis possunt specie convenire.*

4. *Adeo ut maxima discrepantia non omnem tollat identitatem.*

XI. Notiones secundæ accidunt rebus primis, & singulare est prædicabile tantùm de uno.

1. *Hæc vera est* omne universale est accidens : *hæc falsa*, omne accidens est universale.

2. *Quare* species *etiam formaliter sumpta* est accidens.

3. *Accidens latius patet universali.*

XII. Homo est substantia, & hoc album est singulare.

1. *Nec* hoc *est species, nec* ille *est accidens.*

2. Quoddam accidens non est species, & quædam species, non est accidens.

3. *Hæ, licet ex prædictis verè*, accidens est species, & species est accidens, *non tamen sunt reciprocæ.*

XIII. Ratio accidentis prædicabilis est, ut contingenter conveniat: prædicamentalis verò, ut non per se, sed in alio subsistat.

1. *Illud sumitur, ut opponitur essentiæ, hoc, ut substantiæ.*

2. Rationale *respectu animalis potest esse accidens prædicabile, at non est prædicamentale : risibile contra est prædicamentale, non prædicabile :* album *verò, utrumque.*

3. *Vt dantur quædam accidentia, quæ & sunt prædicabilia & prædicamentalia, ità quædam prædicabilia, non prædicamentalia, & contra.*

4. *Triplex datur prædicatio accidentis, una prædicamentalis, non*

non prædicabilis: altera prædicabilis, non prædicamentalis: tertia, utriusque.

5. *Quare hæc* omne accidens eſt accidens, *poterit eſſe falſa, ideoque non identica.*

XIV. Hæc, unitas huic corpori, illa illi inhæret.

1. *Binarius v. g. Lapidum, ſecundum ſe totum nulli uni ſubiecto inhæret, ſed ſecundum partes.*

2, *Partes numeri primo & per ſe inſunt ſubiecto.*

3. Eſſe in ſubjecto, *non eſt ſolius accidentis completi, & categorici.*

XV. Quæ ſeipſis totis abſque ullâ differentiâ eſſentiali differunt, dicuntur primò diverſa.

1. *Genera ſumma, differentiæ diviſivæ, & individua eiuſdem ſpeciei primò diverſa habenda ſunt.*

2. *Non ſolùm ob ſummam diuerſitatem, ſed etiam ob ſummam identitatem, quædam dicuntur primò diverſa.*

3. *Eſſe igitur* primò diverſa, & maxime diverſa, *longè ſunt diverſa.*

XVI. Accidens *ex Porph.* ſemper exiſtit in ſubjecto, & *ex Ariſt.* non poteſt ſeorſum exiſtere ab eo in quo eſt.

1. *Ad realem omnis accidentis exiſtentiam, requiritur actualis inhærentia in ſubiecto, nec ſufficit aptitudinalis*, ut ſomniant ridiculi portentoſæ μετασιας defenſores.

2. *Licet multa dentur accidentia ſeparabilia, ſine quibus ſubiectum poteſt exiſtere, nullum tamen datur ſeparabile, quod ſine ſubiecto exiſtit, aut exiſtere poteſt.*

3. *Adeo ut illud,* accidentis eſſe eſt ineſſe, *de actuali inhærentia, & reali exiſtentia præcipuè intelligatur.*

XVII. Subſtantia eſt primum ens; alia autem dicuntur entia eo quod ſint aliquid ejuſmodi entis, nempe vel quantitas, vel qualitas, *&c. 7. Metaph. cap. 1.*

1. *Non tantum proprium, ſed & quodvis accidens prædicamentale, (quod nempe verè, & Phyſicè eſt accidens) per ſubſtantiam ut ſubiectum definitur.*

2. *Accidentia dicuntur nudæ formæ reſpectu materiæ*, ex quâ

quam non habent, non autem, in quâ, *quam involvunt, & præsupponunt.*

3. *Licet actualis inhærentia, in actu exercito, non sit de essentiâ accidentis, sed aptitudinalis, hoc sensu, id est, potentia ut illud actu inhæreat, quandocunque existit, (nam essentia accidentis, etiam dum non actu existit potest concipi) tamen præter aptitudinalem, etiam actualis (saltèm in actu signato) accidentis, quâ accidens, essentialem rationem attingit.*

XVIII. Quod extrà mentem reipsâ existit, vel existere potest, est ens reale: quod verò in solâ mente objectivè existit, est ens rationis.

1. Mons aureus, *est ens reale*; hircocervus, *ens rationis*; & rosa in hyeme *existit in mente per modum entis realis, non autem entis rationis purè, & essentialitèr.*

2 *Sola impossibilia in re, & possibilia in ratione, sunt entia rationis.*

1. *Inter ens reale, & ens rationis, sub genere entis, non datur medium: & modos habent essendi contradictoriè quasi oppositos.*

2. *Ens impossibile volitum, non mediat inter ens reale, & ens rationis: sed potiùs simplitèr est ens rationis.*

3. *Licet quâ volitum respiciat voluntatem, tamèn quâ ens, intellectum.*

4. *Et licet volitum non sit formaliter cognitum, existentia tamen voliti non est alia, quàm rationis.*

5. *Existentia objectiva, quam habet in voluntate, non est à voluntate, sed ab intellectu, quatenus apprehendendo illud sub ratione entis, proponit objectum voluntati.*

XIX Qui profert nomen, vel verbum, audientis mentem sistit, adeo ut acquiescat. *De interp. cap. 3.*

1. *In his,* homo est ens, scientia est ens, *vox,* ens, *ut non copulativè notat substantiam, & accidens (quod falsum est) ita nec disjunctivè substantiam, vel accidens, quod incertum est.*

2. *Audito nomine,* entis, *mens non distrahitur, sed concipit aliquid substantiæ & accidenti commune, in cuius naturâ omnes res similitudinem quandam habent, & convenientiam.*

3. *Ut*

3. *Ut igitur in ratione essendi inter se sunt similes, unicâ imagine intellectui repræsentantur.*

4. *Ens habet unum conceptum formalem præcisum à conceptu substantiæ & accidentis.*

5. *Ideoque & unum conceptum obiectivum ei respondentem, (seu terminantem extrinsicè illum intelligendi actum) ex cuius unitate, unitas conceptus formalis existit; & qui fundatur in illâ rerum similitudine in ratione entis, non autem in unitate numerali, quæ est à parte rei.*

6. *Etsi à parte rei idem sit,* substantia & ens, homo & ens, scientia & ens, *imò etsi à parte rei,* ens, *in homine & leone non distinguatur, tamen intellectus concipit in homine, vel scientiâ id, in quo cum aliis omnibus rebus convenit.*

7. *Conceptus entis non immediatè significat substantiam & accidens, nec decem summa genera, sed quid ijs commune; licet non univocè, sed ἀφ' ἑνὸς.*

XX. Substantia, cum sit in summo loco, & nullum suprà se genus habeat, est generalissimum. *ex Porph. c. de specie.*

1. *Omnia genera, species, & individua substantiæ, sunt in categoriâ substantiæ.*

2. *Ergo omnis substantia prima & secunda, adeoquè completa.*

3. *Ex eo, quod omnis substantia sit vel prima, vel secunda, sequitur potius nullam, quã aliquam dari substantiam completam quæ in categoriâ non est collocanda; nisi ex eodem æqualiter sequatur utraque pars contradictionis.*

1. *Nullum datur prædicatum substantiæ, universalius & superius summo genere.*

2. *Quod dividitur in primã & secundam substantiam, non est tale substantiæ prædicatum nec reale, sed modale, & substantia categorica, quatenus substat accidentibus ordinæ quodam; quæ dividitur in priorem & posteriorem in substando per prius & posterius, ut accidentales quasdam substandi differentias.*

3. *Ut divisio sit non generis in species, sed subiecti in accidentia: nisi divisum sumas pro totâ lineâ categoricâ, & tunc erit integri in membra; sed divisum non prædicabitur de membris dividentibus in recto.*

4. *Vtcunque, aliud est esse latiùs patens, ut* bipes homine, *aliud superius & universalius.*

XXI. ὁ τις ἀνθρῶπος ἐν εἰδεῖ ὑπάρχει τῷ ἀνθρώπῳ. cap. de subst.

1. Aliquis homo *ex Arist. ibi passim censetur substantia prima, sicut*, homo, *secunda.*

2 *Hæc prædicatio*, aliquis homo est homo, *est secundæ substantiæ de primâ.*

3. *Ergo vel non est speciei infimæ de infimâ, vel quædam prima substantia erit species infima, adeoque erit secunda substantia.*

XXII. Cum *unum* sit entis affectio, quilibet numerus est vnum quid, nec absurdum est multa esse unum.

1. *Vnum numerale, seu quod est principium numeri, & unum transcendens longè differunt: illud est indivisio in ente, hoc, indivisio in quantitate continuâ.*

2. *Ideoque quod unitas numerica addit unitati transcendentali, est quantitas continua rei quantæ, ut est in se indivisa.*

3. *Licet unum numerale, & transcendentale non differant secundum rem, differunt tamèn secundum rationem.*

4. *Duplex datur numerus, unus categoriæ quantitatis, qui constituitur ex unitatibus quantitativis, nempe quæ consequuntur divisionem continui; alius transcendens qui conflatur ex unitatibus transcēdentibus nempè quæ cōsequuntur essētialia rei attributa.*

5. *Vt numerus transcendens non continetur in aliquâ certâ categoriâ, ità nec unitas in determinatâ naturâ.*

XXIII. Posito, in subiecto capaci, proximo relationis fundamento, & termino, necessariò ponitur relatio.

1. *In eodem numero homine plures filios habente plures numero sunt paternitates.*

2. *Plura accidentia relativa, solo numero distincta, possunt esse in eodem numero subiecto.*

3, *Identitas numerica relationis non sumitur à solo subiecto, sed etiam à respectu ad terminum.*

XXIV. Si idem sit æquale & relatum, nihil absurdi est si in utroque genere numeretur. *cap. de qualitate.*

1. *Idem reipsa pro variâ consideratione potest esse in variis categorijs.*

2 *Ergo*

2. *Ergo multò magis in variis speciebus eiusdem.*

3. *Quod quædam in primâ, & in tertiâ specie qualitatis reperiantur, non minuit vulgarem specierum numerum.*

4. *Cum in eâdem re numero fundari possint conceptus, & specie, & toto genere distincti, non necesse est, ut omnia entia prædicamentalia, vel in diversis, vel in eâdem categoriâ, distinguantur realiter.*

5. *Vel quædam distinctio rationis est maior reali vel quædã in eodem genere magis differunt, quam quæ in diversis*

XXV. Non existente primâ substantiâ nullum existit ens. *cap. de substantia.*

1. *Si ullam existat ens, existit substantia, & contrà.*

2. *Si* ens, *sumatur pro* existens, *reciprocantur ens, & prima substantia quoàd existendi consecutionem.*

3. *Ens hoc sensu, non est prius eâ secundo modo prioris,*

4. *Nec omne latiùs patens minùs latè patente*

XXVI. Hæ semper veræ sunt, *currens movetur, cursurus movebitur*; at hæ, *currens movebitur, cursurus movetur*, minimè.

1. *Participium, ut nunquàm copulat ita non prorsùs deponit temporis adsignificationem, etiam cùm loco nominis usurpatur.*

2. *Vel datur tertia Species interpretationis simplicis, distincta à nomine, & verbo; vel & verbum & nomen erit duplex, unum* simpliciter, *alterum* secundum quid.

XXVII. Hìc, *non pullus sit pullus*, subiectum; est privatio physica; hìc, *ovum est non pullus*, attributum.

1. *Datur nomen, quod nec sit finitum, nec infinitum* simpliciter.

2. *Potest nota negandi addi rei principaliter attributæ, in recto post copulam, & nõ esse verbum infinitum saltèm, quoàd rem.*

3. *Ergo multò minùs, cùm additur determinationi à materiâ, vel termino in obliquo, ut* pullus sit ex non pullo.

XXVIII. Res vel sit ex ente, vel non sit ex ente; at nec sit ex ente, nec sit ex non ente 1. *Phys.* 8.

1. *Contradicentes termini etiam in enunciationis attributo, tunc tantùm dividunt veritatem & falsitatem, cum negatur integrum attributum, & non sola eius determinatio.*

2 *Tunc etiam duntaxàt æquipollent affirmatio infinita, & negatio finita*

3. *Ergo hæ, licet veræ, non æquipollent*, pullus fit ex non pullo, & pullus non fit ex pullo.

XXIX. Prædicatio essentialis est æternæ veritatis.

1. *Hæc vera est*, Socrates est homo, *etiam illo mortuo.*

2. *Negatur hæc sequela*, ab Arist. Socrates est homo mortuus, ergo est homo, *non quod sit falsa, sed quia non sequitur ex priori, eo quod* homo *hic sumitur propriè, ibi minimè.*

3. *Differunt hæ*, Socrates est homo mortuus, & Socrates mortuus est homo, *ut vera & falsa.*

XXX. Hæc vera est, *omne animal esse hominem est impossibile*; hæc falsa, *omne animal non esse hominem est necesse*: quia, *omne non*, est *nullum.*

1. *Ergo non æquipollet cum illâ, sed potiùs hæc*, non omne animal esse hominem est necesse.

2. *Non quælibet repugnantia in dicto, ratione quantitatis, & qualitatis sufficit, ut* impossibile & necesse *æquipolleant* [illegible].

3. *Contrarietas hìc denotat contradictionem in dicto, sivè inter particularos sivè universales ratione temporis.*

4. *Nota igitur negandi non soli copulæ, sed signo etiam universali præponenda est.*

5. *Ergo contrarietas in consecutione modalium aliter sumitur, quàm in earum oppositione; ubi est tantùm inter duas universales ratione temporis oppositas, quarum una includat, altera excludat omne tempus.*

XXXI. Hæc, *homo valet*, convertitur in hanc, *quoddam quod valet est homo.*

1. *Non est hic vtrobique eadem numero copula verbalis.*

2. *Nec hic*, homo est sanus, & quoddam sanum est homo.

3. *Diversa semper est reipsâ copula verbalis, in convertendâ & convertente; licet in propositionibus de* est *tertio adiacente, semel tantùm usurpetur utrobiquè*, est.

XXXII. Ex veris semper colligitur verum. 1. *Post cap. 6.*

1. *Ex veris præmissis, falsa conclusio non sequitur.*

2. *ἀξιωματικὸν est*, omne risibile est animal, *at* homo quà homo est risibilis, *ergo* homo quà homo est animal, *si* quà *sumatur reduplicativè.*

3. *Ergo & hæc*, omne risibile est rationale, at homo quà

homo est risibilis, *ergo* homo quà homo est rationalis, *valet tantùm vi materiæ.*

4. *Vt legittimè concludatur problema reduplicatum, reduplicatio non minori, sed maiori extremo adhærere debet, ut modificatio huius potius quàm illius, aut saltèm copulæ.*

5. *Idem terminus reduplicari potest in maiore & conclusione, sed nunquàm in minore & conclusione, nisi quatuor sint termini.*

XXXIII. Scire est cognoscere causam, propter quam res est, quòd sit illius causa, & non possit aliter se habere.

1. *Mens eodem actu assentiri potest conclusioni & præmissis, ac in eodem instanti, ut obiecto, & formali eius rationi.*

2. *Scientia ut formaliter conclusionis, ita materialiter principiorum est cognitio.*

3. *Assensus principiorum non tantùm præsupponitur, sed etiã formaliter includitur in assensu conclusionis, sed ut* quô, *non* quod.

4. *Est q; huius causa, & materialis, & efficiens* quâ, *ut mens* quæ.

XXXIIII. Hæc, *omne quod est* (id est essentiã habet) *est unũ*; *at omne ens est*; ergo *omne ens est unũ*, est demõstratio metaphysica.

1. Est, *secundum adiacens, cum notat essentiam, potest actu ingredi demonstrationem, nec tantùm efficit suppositionem incomplexam.*

2. *Et potest prædicari primo modo* per se.

3. *Nec semper dicitur tertio modo* per se, *etiam de substantia.*

XXXV. De rosâ in hyeme, potest demonstrari affectio.

1. *De subiecto non existente dari potest scientia.*

2. *Ad necessitatem conclusionis demonstratæ & scitæ non requiritur, ut subiectum semper existat in rerum naturâ, sed sufficit necessaria connexio terminorum, ita ut subiecto existente necessariò existat attributum; quæ necessitas dicitur complexa.*

3. *Obiectum scientiæ nec est affectio sola, nec subiectum solum, sed complexum ex utrò q;, seu inhærentia affectionis in subiecto.*

XXXVI. Propositio dialectica est interrogatio probabilis, non paradoxa. 1. *Top.* 10. Thesis est existimatio paradoxa nobilis alicujus philosophi.

1. *Idem potest esse* & παραδοξον & ενδοξον *diversâ ratione.*

2. *Licet omnis propositio dialectica sit probabilis, nõ tamen contrà.*

3. *Datur propositio quæ nec est dialectica, nec demonstrativa.*

THESES ETHICÆ.

I.

DEfinitionem ſummi boni *cap.* 7. *lib.* 1. traditam, poſteà. *lib.* 10. applicat ſummo bono theorico.

1. *Licet Philoſophia practica, ut ſuo fine contradiſtinguitur à theoricâ, ſummum bonum practicum tantùm conſideret, tamen, ut tenetur communem hominis finem cognoſcere, ex cuius prænotione elicitur ordo humanarum actionum & recta ratio condendi leges, diſtinctè debet cognoſcere ſummi boni partes.*

2. *Etſi ſola fælicitas moralis, ratione adeptionis, utraque tamen ratione cognitionis, ordinis, proprietatum, & directionis ad moralem philoſophiam ſpectat.*

3. *Hinc fælicitas practica & theorica adeò coniunctæ ſunt, ut unus gradus ſine altero nec perfectè cognoſci, nec exactè ſervari poſſit.*

4 *Hinc* 7. Eth. cap. 11. *politicus dicitur* ἀρχιτεκτων *ipſius finis, ad quem reſpicientes unumquodque, hoc bonum, illud malum ſimpliciter vocamus.*

5. *Quare non ex eventu, ſed etiam per ſe in Ethicâ explicantur habitus mentis, & fælicitas theorica.*

II. Si daretur idea boni, inanis eſſet; quia quæritur id bonum quod per actionem acquiritur 1. *Eth.* 6.

1. *Vnaquæque res per naturam expetit id bonum, quod valet aſſequi.*

2. *Ergo ſuum & proprium bonum appetit: omniaque unum quoddam bonum appetere non eſt verum.* ex Ariſt. 1. Mora. ad finem.

3. *Veterum illa boni deſcriptio quam* 1. Eth cap. 1. *approbat (nempe quod ſit id,* quod omnia appetunt*) non eſt definitio primi & ſupremi boni, ſed boni univerſe ſumpti, hoc ſenſu*; bonum eſt ea rerum ratio & conditio, per quam omne quod expetitur, expeti dicitur.

4. *Adeo ut nihil expetatur niſi ſub ratione boni, vel veri, vel ſaltem apparentis.*

5. *Nemo quantumvis vitioſus expetit malum ſub ratione mali, ſed quatenus videtur ei bonum, ſi non honeſtum, ſaltem iucundum vel utile.*

III. Honor eſt in honorante magis, quàm in honorato. 1. *Eth.* 5.

1. *Honor*

1. *Honor proprie nec pro virtute, seu meritis honorati sumitur nec pro externâ materiâ quæ ei tribuitur ab honorante: sed pro probâ actione honorantis externâ, quam virtus cuiuspiam meretur.*

2. *Quocirca honor honore dignus esse potest.*

3. *Vir malus, ut honorari non debet, ita honorare non potest.*

2. *Magis tenemur esse soliciti de honore tribuendo, quàm recipiendo.*

3. *Et de non inferendâ aliis iniuriâ, quam non recipiendâ.*

4. *Honor subiectivè est in honorante, obiectivè in honorato.*

5. *Denominatur quis honoratus, sicut paries dicitur visus.*

IIII. Dispositio & habitus sùt eiusdem speciei. *c. de qualitate.*

1. *Ergo & actiones ex habitu & dispositione promanantes.*

2. *Actiones habitum virtutis præcurrentes, & sequentes non differunt specie aut essentialitèr, sed tantùm per magis & minùs, seu accidentaliter, si considerentur in se, quà actiones sunt.*

V. Ad artes cognitio sufficit; ad virtutes parùm aut nihil prodest. 2. *Eth.* 4.

1. *Opera artis dicuntur habere in se suam perfectionem, sine respectu ad artificem, non simplicitèr, sed tantùm respectu actionum moralium; vel quia respicitur mens & cognitio artificis, non appetitus & mores.*

2. *Cognitio, quæ tam parvi est momenti in rebus moralibus, non est prudentia virtutum moderatrix, sed nuda speculatio eorum, quæ spectant ad virtutem, quæ non dirigitur ad operationem.*

3. *Licet habitus tùm artis, tùm virtutis moralis crebris actionibus acquiratur,* ex cap 1. lib. 2. *specialitamen ratione actiones dicuntur* κυρίως τῶν ἕξεων.

V. Quædam, simulatque nominantur, mala habentur, ut invidia & malevolentia. *ex cap 6. lib. 2.*

1. *Hæc mala sunt in se, non eorum excessus & defectus tantùm.*

2. *Non licet in his servando circumstantias bene agere: sed simpliciter ex ijs agere, est malum agere.*

3. *Non omnis actio, vel perturbatio habet medium intrà latitudinem ipsius, sed tantùm in se indifferentes.*

4. *Dantur quædam in se modificatæ, hoc est, vel bonæ, vel malæ, quæ non habent magis, minus, & medium; sed sunt quasi extremitates*

mitates, vel in bono, ut verecundia, vel in malo, ut impudentia.

5. *Huiusmodi nec sunt virtutes nec vitia, nec perturbationes propriè; sed quasi semivirtutes & semivitia: imò ne hæc satis propriè.*

VII. Indignabundus dolet rebus secundis malorum, invidus verò omnium; malevolus alienis malis gaudet: & laudatur verecundus, qui medius est inter consternatum, & impudentem. 2. Eth. 7.

1. *Indignatio est medium inter invidiam & malevolentiam.*

2. *In pertubationibus dantur mediocritates, ob quas laudamur (quæ non sunt virtutes) tum in bono, tum in malo.*

3. *Perturbatio, quæ caret medio, intrà latitudinem ipsius potest habere mediũ sumptum pro qualitate distinctæ naturæ ab extremis.*

4. *Non omnis mediocritas est virtus, nec omne extremum vitiũ.*

5. *Dantur quædam perturbationes modificatæ, laude dignæ, aliæ vituperio, etiam in mediocritate positæ.*

6. *Imò cum pudor in juvene laudetur, in sene vituperetur (non quod deberet esse impudens in malè agendo, sed quia ob ætatem debet composuisse mores)* 4. Eth. cap. 9. *eadem mediocritas est & laude & vituperio digna.*

7. *Pudor*, 3. Eth. cap. 8. *vocatur virtus, quod sit in pueris via ad virtutem.*

VIII. Incontinens agit ex cupiditate, non ex prælectione, at continens contrà. 3. Eth. 2.

1. *Præsente habitu in appetitu sensuum adest virtus temperantiæ, eo autem absente abest, etsi adsit recta ratio in continente.*

2. *Virtus moralis non est subiectivè in mente & voluntate, sed in appetitu sensuum unà cum perturbationibus.*

3. *Proprium hominis bonum, etsi proveniat à mente ut dirigente, perfectionem tamen habet ab appetitu.*

4. *Non necesse est ut subiectivè insit propriæ hominis facultati.*

5. *Temperantia negatur brutis.* lib. 7. cap. 6. *non quod sit in mente subiectivè, sed quia bruta carent ratione, quæ appetitum sensuum dirigat.*

6. *Et* cap. 2. lib. 6. *negatur sensus esse principium actionis respectu cognitionis tantùm, non appetitus rationi obtemperantis.*

7. *Virtutes & semivirtutes non sunt in eodem subiecto partiali.*

IX. Omnis

IX. Omnis vitiosus ignorat agenda & cavenda: at ebrius, vel iratus non agit per ignorantiam. 3 *Eth.* 1.

Ap. Vt differunt ignorantem agere *&* per ignorātiam agere, *ita differunt apud Philosophum,* ἀγνοῦντα πρᾶξαι, καὶ δι' ἄγνοιαν πρᾶξαι; *hoc enim est agere per cupiditatem, at illud, per ignorantiam, minimè.*

X. Politica est παιδεία πρὸς τὸ κοινὸν; at Ethica πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον. Lib. 6. Eth. cap. 10.

1. *Etsi in rectè administratâ repub. qui paret sanis legibus, & secundum virtutem vivit, sit & vir bonus, & civis bonus, tamen aliud est, esse civem bonum, aliud, esse virum bonum.*

2. *Hinc qui in depravatâ repub. paret eius legibus injustis dici potest bonus civis, saltem secundùm quid, cùm non sit vir bonus.*

3. *Datur justitia quæ sit iniustitia, & iniustitia, quæ iustitia.*

XI. Omnis virtus sequitur præscriptum rectæ rationis.

1. *Iustitia omnium minimè respicit personas extrà merita.*

2. *Iustitia distributiva utitur personis inæqualibus seu exercetur secundùm dignitatem personarum sinè personarum respectu.*

3. *Dignitas personarum quæ ibi attenditur, in animi, non fortunæ bonis consistit.*

4. *Fieri secundum dignitatem personarum, & haberi respectum personarum, longè differunt.*

XII. Prudentia est habitus activus. 6. *Eth.* 5.

1. *Præter mentis cognitionem supponit rectitudinem appetitus.*

2. *Prudens & tenet virtutis præcepta, & secundum ea agit.*

3. *Potest quis esse moralis Philosophus, qui non est prudens.*

4. *Hinc politica & prudentia,* 6. Eth. 8. *dicuntur esse idem habitus reipsa, sed ratione differre.*

THESES PHYSICÆ.

I.

Mens nostra tantâ necessitudine cum sensibus est conjuncta, ut, dum est in hoc corpore, absque sensuum ope rerum cognitionem assequi nequeat.

THESES PHYSICÆ.

1. *Oportet nos ea prius cognoscere, quæ priùs & vehementiùs movent sensus, ut per ea noscamus quæ sunt remotiora à sensibus.*

2. *Composita, effecta, singularia & eiusmodi sunt nobis notiora, quam simplicia, principia, essentiæ & universalia.*

3. *Modus procedendi à notioribus nobis ad notiora naturâ dicitur naturalis, non quod quæ sunt naturâ notiora sint nobis notiora, nec quòd sit similis viæ, quâ natura procedit in rebus procreandis, nec denique quòd sit congruens naturali hominis appetitui, quo ductu naturæ ad cognoscendum scientificè incitatur.*

4. *Sed quia cum naturæ impulsu accedimus adres cognoscendas, earum admiratione excitati incipientes à compositis, & effectis, & accidentibus sensilibus pervenimus quasi per gradus quosdam ad notitiam simplicium causarum, & essentiarum, quæ sensus latent.*

5. *Hinc* 2. Metaph. cap. 1. *nostra cognitio comparatur cum vespertilionum visu: nam sicut vespertiliones ob oculorum infirmitatem non possunt aspicere lumen (quod tamen est maximè aspectabile, cum per illud cætera omnia aspiciantur) sic, et si nihil sit cognoscibilius simplicibus, universalibus, & causis, minus tamen à nobis cognoscuntur quam concreta, singularia, & effecta, quia minùs sunt sensilia.*

II. Figuram triangularem videmus, sed tres ejus angulos pares duobus rectis non videmus.

1. *In rebus Mathematicis quædam causæ sunt magis sensiles quàm effecta, utcunque in Physicis contrà.*

2. *Ergo & nobis & naturâ simul notiores.*

3. *Non omne naturâ notius est remotius à sensibus, nec omne nobis notius est sensibus vicinius.*

4. *Dum* 1. Post. 2. *notius naturâ dicitur remotius à sensibus, notius verò nobis sensibus vicinius; non tam utrumque desinit, quàm exemplo declarat quænam ut plurimùm sint nobis notiora & naturâ: nam cùm impossibile sit ut idem eòdem sit & vicinius sensibus, & remotius, fieri non posset, ut idem sit & nobis & naturâ notius.*

5. *Dum igitur ibi &* 1. Phys. *negat idem esse nobis & naturâ notius, identitatem non materialem, sed formalem negat; semper enim diversum est esse nobis notius, & esse naturâ notius, etsi interdum concurrant in unâ & eâdem re.*

III. Vniuersale

III. Vniversale est totum, nam nulla continet ut partes: & circulus significat totum, κατ' ἀδιαιρέτως; at definitio circuli dividit in singularia. 1. *Phys.* 1.

1. *Cùm igitur notius nobis dicatur, quod est magis confusum, & posteà innotescant principia dividendo confusum, oportet per confusum nihil aliud notetur quàm compositum & totum aliquod ex partibus constans; sive sit genus ex speciebus, sive species ex genere & differentiâ, sive corpus physicum ex materiâ & formâ, sive integrum ex membris, &c.*

2. *Ergo omne totum, quà totum est nobis notius suis partibus, quia est magis sensile; sed præcipuè totum integrale.*

3. *Diversâ igitur ratione genus est nobis notius quàm species, & contrà.*

IIII. Ratio est ipsius universalis; sensus verò, particularis. *lib.* 1. *Phys. cap.* 5.

1. *Universale est notius ratione: singulare verò, sensu. ibidem.*

2. *Universalia sunt naturâ notiora, quia menti objiciuntur; singularia nobis, quia sensibus.*

3. *Oportet Philosophum aliter sumere* universale & singulare 5. cap. 1. Phys. *quàm* cap. 1. *imò contrario modo: nam quod ibi* universale, *hic* singulare *vocat, & contrà: sed eôdem sensu.*

V. Nigredo non fit ex albedine, at nigrum fit ex albo, seu ex non nigro, non quolibet per se, quia ex musico per accidens. *lib.* 1. *Phys. cap.* 5.

1. *Si contraria sumantur in abstracto, unum non fit ex altero, ne terminativè, sed tantùm in concreto.*

2. *Si compositum conferas cum sui privatione, contrarium potest dici fieri ex contrario, verùm non secundùm se totum, sed ratione partis, nempe formæ.*

3. *Contrarium igitur hic sumendum est, non pro merâ formâ oppositâ, nec merâ eius negatione, sed pro privatione, quæ utrumque includit.*

4. *Ergo res sit per se ex sui privatione, non simpliciter. sed si privatio conferatur cum merâ negatione, vel forma oppositâ solitariè sumptis.*

5. *Hinc patet triplicem esse terminum* à quò *ortus, quorum duo*

sunt per se, & tertius per accidens v. g. cum oritur nigrum, terminus à quò *per se remotus & primarius est* non nigrum, *per se propinquus, sed secundarius est* album; *per accidens autem est* musicum, *aut aliud quid, quod accidit nigro, aut tali non albo.*

VI. Desiderium est de bono absenti, complacentia de bono præsenti, privatio carentiam boni, appetitus denique inclinationem ad bonum notat.

1. *Ergo appetitus abstrahit à bono præsenti vel absenti.*

2. *Adeoque à desiderio, complacentiâ & privatione.*

3. *Appetitus est universalior privatione, & prior secundum rationem.*

4. *Privatio, cum sequatur appetitum non potest esse eius causa.*

5. *Et cum præcedat desiderium, medium locum tenet inter appetitum, & desiderium.*

VII. Vnum est principium, non sicut unum existens, aut hoc aliquid, sed unum secundum rationem. 1. *Phys. tex. 66.*

1. *Vna est specie materia in omnibus sublunaribus, quæ omnes & singulas formas eiusdem, vel diversæ specie respicit, sub ratione formæ amissibilis.*

2. *Nulla una forma physica dat speciem numerum, vel existentiâ primæ materiæ, sed omnes in communi respicit, ut conveniunt in modo informandi, à quo materia habet unitatem specificam, quatenus eas sic respicit ut eundem actum adæquatum.*

3. *Species, quam forma tribuit materiæ, adventitia est, & quasi extrinseca; quia cùm ex se sit pars distincta à formâ, ut potentia ab actu, habet per se speciem suam incompletam & invariabilem suamque unitatem specificam, quam non tollit diversitas specifica formarum quasi materialis & inadæquata, cum conveniant in unâ formali adæquatâ ratione sub quâ referuntur ad potentiam materiæ.*

VIII. Oportet aliquid semper subjici quod fit, & hoc licet numero sit idem, specie tamen non est idem, nempe ob privationem ei junctam n. 1. *Phys. tex. 60.*

1. *Materia sublunaris est aliquo modo una numero, licet non simpliciter.*

2. *Ergo ex propriâ ratione materiæ nec tota est una numero, nec plures sunt numero distinctæ, sed utrumque est per divisionem*

vel

vel continuationem, sicut aqua continua est una, divisa, plures.

3. *Materia in quâ succedunt diversæ formæ, manet eadem numero per propriam entitatem, quatenus divisa est ab aliâ portione materiæ; accipit tamen quandam unitatem & distinctionem numericam adventitiam, accidentalem, & extrinsecam à formâ cui conjungitur, & à composito quod constituit, quæ variatur pro diversitate formarum & compositorum.*

IX. Materia per naturam appetit bonum, divinum, & appetibile. 1. *Phys. text.* 81.

1. *Ergo primò & per se appetit formam, per accidens etiam privationem ei junctam.*

2. *Licet materia, cùm prædita sit potentiâ passivâ, sit indifferens ad opposita, non tamen ex æquo appetit privationem & formã.*

3. *Cùm omnis pulchritudo sit forma, ex eòdem textu, materia, quæ per se nullam habet formam, dicetur turpis per accidens, ita tamen ut etiam turpis sit per se, quatenus non est per se pulchra; per se (inquam) non primo modo sed secundo, quatenus sequitur naturam materiæ respectivè consideratæ.*

X. Nullum eorum quæ fiunt, habet principium effectionis in seipsis, sed quædam in alio & extrà, alia in se quidem, sed non per se. 2. *Phys. text.* 3. & ars non est eorum quæ sunt à naturâ, hæc enim habent principium in seipsis; at omnis ars versatur circa productionem eorum, quorum principium est in efficiente, & non in eo quod fit. 6 *Eth. cap* 4.

1. *Ars quà ars, est principium operandi extrinsecum, natura quà natura, intrinsecum.*

2. *Ut medicus seipsum sanat per accidens quà artifex, sic accidit naturæ ignis, quod calefaciat aquam.*

3. *Quod igitur per se est operandi principium intrinsecum,* ex Arist. *non est ars.*

4. *Per illud,* in quo est, *in definitione naturæ excluditur omne principium motus externum, sive naturale sive artificiale, quia, quà est externum, non est naturale.*

5. *Non dicitur aliquid natura, quia id, in quo est natura movet aliud, sed quia movet illud ipsum: nam principium transmutandi aliud in quantum est aliud, dicitur potentia.* 5. Metaphys. & 3. de cœlo cap. 1.

6. *Hinc*

6. *Hinc patet artem cantandi, ſaltandi & ejuſmodi dici principium ſuæ operationis intrinſecum tantùm per accidens ſub ratione artis, quatenùs ejus operatio eſt tantùm modificatio motus naturalis provenientis à naturâ ſaltantis.*

7. *Cùm opera artis ſint duplicia, quædam ſimpliciter talia, ut* domus, ſtatua, *alia* κατα τι *v. g.* ſaltatio, arboris plantatio, *quæ pendent ex naturâ ut principali agente, diſcrimen hoc inter naturam & artem præcipue intelligendum eſt de operibus artis ſimpliciter, & operibus naturæ ſimpliciter; in quibus magis perſpicuè reſulget propria utriuſque ratio, quàm in operibus miſtis.*

XI. Materia eſt natura poteſtate, forma actu. 2. *Ph.* 1.

1. *Omnis potentia, quæ convenit rei ratione materiæ, eſt ei aliquatenùs naturalis, & cui repugnat forma, eſt non naturalis.*

2. *In lapide potentia ad motum ſurſum ab ejus materiâ fluens non eſt prorſùs contrà naturam.*

3. *Nullus eſt motus prorſùs violentus, nec ullus prorſùs naturalis.*

4. *Adeo ut motus lapidis ſurſum ſit aliquo modo naturalis, deorſum, aliquatenùs violentus.*

5. *Quod hic motus dicatur* ἁπλως *naturalis, alter* ἁπλως *violentus, denominatio ſumitur à principio prædominante, ſeu naturâ actu, prout motus eſt ei conſentaneus, vel diſſentaneus.*

XII. Fortuna revocatur ad mentem humanam, & caſus ad naturam. *ex cap. 6. lib. 2. text. 66.*

1. *Ergo ad cauſam efficientem ſpectant.*

2. *Finis, quâ finis, non eſt cauſa effectus fortuiti, ſed qua induit naturam efficientis.*

3. *Fortuna igitur & caſus non ſunt cauſæ latentes, quæ per ſe effectus producunt, ſed ipſa mens humana & natura, quæ, reſpectu effectus principalis per ſe intenti ſunt cauſæ per ſe, reſpectu non intenti & cum effecto principali accidentaliter conjuncti, ſunt cauſæ per accidens.*

4. *Non dicuntur cauſæ per accidens, quia accidunt cauſis per ſe, ſed quia ſunt cauſæ alicujus, quod accidit effecto per ſe intento.*

5. *Verſantur igitur* ἐν τοις ἑνεκα τυ, *non quod fortuna aut caſus intendant aliquem finem, nec quod effectus fortuitus & caſualis ſint intenti per ſe ab agente, ſed quia ſunt tales, ut, ſi fuiſſent præviſi, ab eo fuiſſent intenti.*

XIII. Motus

XIII. Motus est actus entis in potentiâ, quà tale. 3. *Phy.* 1.

1. *Motus materialiter est forma fluens, formaliter fluxus formæ.*

2. *Motus non differt realiter à termino* ad quem, *ut est in* fieri.

3. *Cùm motus sit ens successivum, ejus terminus* ad quem *non consistit in indivisibili, nec totus in instanti acquiritur.*

4. *Generatio & corruptio, illuminatio aliaque mutationes instantaneæ præcisè sumptæ non sunt motus, ut hic definitur motus.*

5. *Et cùm motus sit continuus, non habet partem primam & ultimam simpliciter, sed divisibilis est in semper divisibilia.*

6. *Locus non est terminus* ad quē *motus localis, nisi per accidens.*

7. *In motu locali terminus* ad quem *intrinsecus & formalis est* ubi, *quod subjectivè est in mobili.*

XIV. Infinitum est, cuius secundùm quantitatem semper licet aliquid extrà sumere. 3. *Phis.* 6.

1. *Infinitum non est perfectum.* ibidem.

2. *Potius habet rationem partis quàm totius.*

3. *In infinito non datur prius & posterius.*

4. *Infinitum formaliter non potest augeri, vel minui, nec in duo dimidia dividi.*

5. *Etsi infinita ferè sint infinita potestate, plura tamen actu infinita esse non possunt.*

XV. Locus est corporis continentis terminus primus & immobilis, eiusque proprietates sunt attrahere ad se locatum, illud conservare, & continere. 4. *Phys.* 4.

1. In 4. Phys. *considerat* Arist. *locum tantùm sublunarium corporum, quæ motum rectum habent, non circularem.*

2. *Locus nec, ut est præditus facultate continendi, & conservandi locatum, nec, ut est superficies continentis, est affectio physica.*

3. *Ergo, ut est terminus motus localis, vel ad quem, vel circa quem fit.*

4. *Cùm locatum immotum manens v. g.* turris *subindè mutet superficiem aeris ambientis vento agitati, locus dicendus est immobilis non materialiter & respectu superficiei, sed formaliter & respectu situs, seu æqualis distantiæ à centro, cœlo, polis, & aliis fixis mundi partibus.*

5. *Extimum cœlum nec secundum se totum, nec partes esse in loco materialiter, sed tantùm formaliter.*

6. *Definitio loci Aristotelica est materialis potius quàm formalis.*

7. *Etsi nihil sit in loco materialiter, quod non etiam sit formaliter, potest tamen aliquid esse formaliter quod non est materialiter.*

XVI. Tempus est numerus motus per prius & posterius.

1. *Quilibet motus habet suũ tempus.*

2. *Cessante motu cœli servari potest tempus.*

3. *Et multa simul possunt esse tempora.*

1. *Est igitur successiva quædam duratio, seu modus realis superadditus entitati ipsius motus.*

2. *Continuatio motus non simpliciter infert hanc durationem, nisi quatenus habet partes priores & posteriores.*

3. *Tempus differt à motu formaliter & realiter, non materialiter.*

4. *Tempus est ens reale existens absque mentis operatione, ut mensura aptitudinalis & activè & passivè, licet quà actualis pendeat à mente, quatenus extrinsecam tantùm denominationem notat ab animâ.*

5. *Non definitur tempus ut mensura activa actualis, nec aptitudinalis, sed ut est mensura passiva aptitudinalis, nec, ut quid actu numeratum, sed numerabile.*

XVII. Tria sunt quæ efficiunt motum unum, ὁ, ἐν ᾧ, καὶ ὁτε.

1. *Ad unitatem numericam motus ut motus est, unitas mobilis, temporis, & termini* ad quem *(sub quo comprehenditur spatium) requiruntur & sufficiunt.*

2. *Non requiritur unitas moventis, quà motus, sed quà idem est realiter cum actione & passione, quarum identitas numerica ex agente & patiente dependet.*

3. *Motus unus formaliter petit tantùm tres conditiones, materialiter verò quatuor requirit.*

XVIII. Continuorum permanentium entitas, natura, & modus essendi est permanens; successivorum verò, in transitu consistit.

1. *Partes & indivisibilia permanentium sunt permanentia successivorum successiva.*

2. *Ut calefactionis & caloris partes formaliter distinguuntur, sic indivisibilia utriusque formaliter & realiter; etsi materialiter concurrant quatenus per indivisibilia motus acquiruntur indivisibilia termini.*

3. *Partes*

3. *Partes motus nec continuantur, nec terminantur per indivisibilia termini.*

XIX. Non tantùm quod mutatur, oportet priùs mutatum esse, sed etiam quod mutatum est, priùs mutari. 6. *Ph.* 55

1. *In motu non datur prima pars motus, nec datur primum* mutatum esse.

2. Mutatum esse *non est terminus motus simpliciter motum utrinq; claudens, sed continuans.*

3. *Ergo nec* κινημα, *quod ex* 6. Phys. text 88. *idem statuitur quod* κεκινημενον & μεταβεβληκος, *nit* per primum non esse.

1. *Quamprimùm verum est mobile esse in termino* ad quem, *tunc primùm verum est motum non esse, nec ullam ejus partem, aut ullum indivisibile continuativum, sed solùm terminativũ extrinsecum.*

2. *Incipit igitur motus per* ultimum non esse, *& desinit* per primum non esse.

3. *Ergo incipit per initiativum, & desinit per terminativum extrinsecum duntaxat.*

XX. Omne quod mutatur, est divisibile 6. *Phys. text.* 32.

1. Το νυν *assimulatur* τῳ φερομενῳ, 4. Phys. text. 104. *non quod* το φερομενον *sit indivisibile, & terminus communis in motu (sicut punctum lineæ) sed quia, sicut latio ratione mobilis sortitur unitatem & divisionem, sic tempus ratione momenti, ut ibi se exponit.*

2. *Non magìs hinc sequitur* το φερομενον *esse terminum, & indivisibile, quàm* το νυν *esse continuum, & divisibile.*

3. *Non necesse est, ut in ullo motu (nedum omni) statuantur hæc tria distincta,* το μεταβαλλον, το μεταβεβληκος, και το φερομενον:

XXI. Naturalis motus simplex unius elementi potest convenire alteri contrà naturam. *ex text* 14. *lib. de cœlo.* & potest sagitta sursùm ex arcu mitti, per lineam rectam physicè.

1. *Datur ergo motus simplex violentus.*

2. *Motus simplex in communi latius patet naturali, & violento, ad eumque sufficit simplicitas spatij sine simplicitate mobilis, vel principii.*

3. *Ad motus simplicitatem non requiritur æquabilitas, cùm naturalis sit velocior in principio, violentus in fine.* c. 6. l. 2. de cœlo.

XXII. Aer & aqua sunt graviora igne, leviora terrâ. *text* 27 *lib.* 4 *de cœlo,* cùm tamen ignis nihil gravitatis, terra nihil

 levitatis

levitatis habeat. 4. *de cœlo. text.* 30.

1. *Ergo esse gravius nihil aliud est, quàm per naturam alteri subsitare, & esse levius est alteri supereminere.*

2. *Gravius & levius latiùs ibi sumuntur, quàm* cap 13 *nam* ex text 6. *levius est etiam leve, & gravius grave.*

xxiii. Cùm ex aere fit aqua, & rursus ex aquâ aer, *nõ aqua* est aer. 1. *Aquæ terminus* à quo *ortus, &* ad quẽ *interitus, est idem specie.* 2. *In simplicibus privatio, & formam præcedens, & sequens potest adjungi eidem formæ specificæ.*

3. *Quòd privatio physica præcedens & seqùens formam, adjungatur formis specie diversis, intelligendum est de ortu & interitu mistorum, præsertim viventium.*

XXIV. Vnius ortus est alterius interitus, & contra. 3 *de ortu.*

1. *Ergo sol per accessum ad zenith nostrum in æstate simul efficit & ortum & interitum, similiter & per recessum in hyeme.*

2. *Sol dicitur suo accessu efficere ortum, & recessu interitum sumptâ appellatione à præstantioribus, quia Sole accedente fit ortus nobilium, & interitus vilium, eo verò recedente minuitur perfectiorum virtus.*

XXV. Terra est magìs sicci quàm frigidi, aqua magìs frigidi quàm humidi, aer magis humidi quàm calidi, ignis magis calidi quàm sicci. 2. *de ortu cap.* 2.

1. *Hac comparatio, non in qualitate respectu separabilitatis & inseparabilitatis tenet, nec respectu intensionis & remissionis, sed ratione naturæ ipsius elementi, cui una qualitas est magis affinis quàm alia.*

2 *Aliud est aquam esse magìs frigidam, & magis frigidi.*

3 *Qualitas remissa potest magìs referre naturã elemẽti quàm sũma.*

XXVI. Anima est actus primus corporis physici organici.

1. *Habere vitam potestate non actũ primum, sed secundũ respicit.*

2. *Præsente actu non perit omnis potentia ad actum.*

3. *Quià actus primus potest esse & operans, & non operans, ideo potentia hic sumitur, nec ut actui opponitur, nec ut ei iungitur tantũ.*

XXVII. Tactus est & *tactilis & intactilis*; & excessus tactiliũ, ut corrumpentia, sunt intactiles. 2. *de ani. text.* 120.

1. *Nullum datur tactile quod tactu non sentitur.*

2. *Vel quidam excessus non est tactilis, vel quoddam intactile est tactile.*

THESES ASTRONOMICÆ.

I.

ASTronomia ſubalternatur Geometriæ, & proximè ſtereometriæ, quæ verſatur circà ſolidum ſphæricum.

1. *Concluſiones Aſtronomicæ demonſtrandæ ſunt, non per principia phyſica, ſed per geometrica.*

2. *Aſtronomiæ ſubiectum eſt ſolidum ſphæricum mobile circà medium, quà eſt ſolidum ſphæricum.*

3. *Aſtronomia eſt impurè Mathematica, ſed magis Mathematica, quàm phyſica.*

4. *Quod igitur* 2. phyſ. cap. 2. *numeretur Aſtrologia inter ſcientias φυσικωτερας, id non fit, quia magis vergit ad naturam phyſicæ, quàm Mathematicæ, ſed quia magis vergit ad phyſicam, quàm purè Mathematica, ob qualitatem rei conſideratæ additam.*

5. *Licet Aſtrologia inquirat in proprios motus, corporum cœleſtium, eorumque rationes & differentias, abſtrahit tamen à motu, quia abſtrahit à naturâ, vnde fluit motus, & ſpectat eum ut quantũ.*

II. Vmbra nihil aliud eſt, quàm luminis prohibitio, vel abſentia, *ut volunt Optici.*

1. *Quò minor eſt proportio inter altitudines lucidi & opaci, tantò maior eſt umbra.*

2. *Ergo* ☉ *&* ● *ex æquo ſuprà horizontem elevatis, erit maior umbra Lunaris, quàm Solaris ab eodem opaco proiecta.*

3. *Eadem turris noctu iacit umbram longiorem,* ● *deſcribẽte æquatorem, quàm interdiu* ☉ *eundem deſcribente.*

III. Tota terra cum ſphærâ ☉ comparata eſt inſtar puncti & centri, ut demonſtrant Aſtronomi.

1. *Agnomonis vertice ad centrum terræ, quod (ex eorundem placitis) idem eſt cum centro mundi, non eſt diſtantia notabilis, ſi ea conferatur cum diſtantiâ Solis ab eodem vertice.*

2. *Circulus per gnomonis verticem ductus, planoq; horologii (v. g. horizontalis) æquè diſtans, pro circulo maximo ſumi poteſt.*

3. *Quare horologia deſcribentes, ut rationem umbrarum, quas* ☉ *quovis momento efficit, demonſtrare poſſint, iure concipiunt verticem ſtyli cuiuſque in centro mundi ſtatui, ad quod omnes radij Solis incidentes proijciunt per gnomonis verticem, umbram in horologij plano, quod tantũ ab eſt à centro, quanta eſt gnomonis lõgitudo.*

IIII. ☉ novem diebus in signis boreis diutius, quàm austrinis moratur.

1. *Semicirculo zodiaci boreali plus, quàm semicirculus eccentrici respondet.*

2. *Et Solis apogæum est in semicirculo boreali.*

3. ☉ *in signis borealibus longius distat, quàm in australibus.*

4. *Quando proximè accedit ad zenith, tunc longissimè distat à nobis, & remotissimus à zenith est nobis proximus.*

V. Periœci sub eodem parallelo, sed oppositis ejusdem meridiani medietatibus; Antœci verò sub eâdem ejusdem meridiani medietate, sed oppositis parallelis; Antipodes sub oppositis & parallelis, & ejusdē meridiani medietatibus habitāt.

1. *Periœci, & Antœci ratione nostri sunt inter se Antipodes; Antipodes & Antœci, Periœci; Periœci deniq; & Antipodes, Antœci.*

2. *Nos cum Antœcis, & Periœcis & Antipodibus ex æquo omnes distamus ab æquatore, & sub eodem sumus meridiano.*

3. *Ergo omnes latitudinem eandem, sed longitudinem cum Antœcis tantum eandem habemus.*

4. *Periœci & Antipodes nostri, eandem inter se longitudinē habēt.*

5. *Soli Periœci eiusdem poli eādem habent nobiscum elevationē, sed Antœci & Antipodes eandē poli nostro oppositi, & eiusdem inter se.*

6. *Pauci tantum sunt, qui Antœcos, Periœcos, & Antipodes reipsâ habent, sed tantùm imaginariâ designatione.*

7. *Hæc incolarum distinctio non tam in naturâ fundatur, quàm ratione nostri fingitur.*

VI. Aux est punctus eccentrici proximus firmamento, ideoque à terrâ remotissimus.

1. *Inter* ☉ *&* ☾ *apogæam in coniunctione nihil intercedit præter duorum cœlorum* ☿ *&* ♀ *densitatem; at in oppositione tota etiam Lunaris cœli diameter ad convexā peripheriā utrinq; extensa.*

2. ☾ *apogæa & Soli proxima, & à Sole remotissima est.*

3. *Ergo ex Opticorum doctrinâ,* ☾ *ibidem sita nunc maximè, nunc minimè à* ☉ *illustratur, sed nunquam minùs, quàm cum est plena, ideoque cum maximè illustrat terram, contra, nunquam magis, quàm cum est sicca, ideoque cum minimè illustrat terram.*

FINIS.